



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

III. Distinctionem virtualem intrinsecam dari in rebus creatis suadet
authoritate scholasticorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

gnos: est namque ratio in anima, qua sicut suo instrumento utitur ad ratiocinandum; & voluntas, qua utitur ad volendum: non enim est rationalis voluntas tota anima, sed est unaquaque aliquid in anima: Ecce Anselmus docet rationem, & voluntatem in anima distingui, utique à parte rei, quemadmodum membra corporis, & sensus animæ distinguuntur re ipsa, & ante considerationem intellectus: quod autem hæc distinctio non sit realis, tum ex ante dictis patet, tum etiam, quia cum dicitur voluntatem non esse totam animam, quid aliud dictum est, quam esse quidem realiter totam animam, tamen totam eius vim non exhausti, sed illam in super intellectum, siue rationem esse pariat, nouæ scilicet, ac virtualiter distinctæ formalitatis additamento?

C A P V T III.

Distinctionem virtuales intrinsecam dari in rebus creatis suadet auctoritate scholasticorum.

25 **O**Rdior autem à Platone Aristotelis magistro, qui in Phæd. sic habet: *Ita natura comparatum est, & ternarius, & quaternarius, & omnis medietas numeri, ut quamuis non idem sit, quod impar, semper tamen eorum quouis sit impar: præterea duo, & quatuor, omnisque alter numeri ordo quamuis idem quod par non sit, simul tamen quilibet illorum par semper existit.* Quibus verbis graduum superiorum, & inferiorum distinctionem aliquam à parte rei cum eorum identitate coniunctam, ac proinde eam, quam nos virtuales appellamus aperte admittit. Rursus in Phil. docet, res in aliqua formalitate omnino similes, & in alia omnino dissimiles esse, sicut ad earum distinctionem virtuales oportet: eius inibi verba sunt isthæc: *Neque color à colore ex eo, quod color unusquisque est, differt: at verò nigrum albo præterquam, quod differt, etiam contrarium esse nouimus omnes. Quin etiam figura figura eadem genere ipso in uniuersum est: Partes autem generis eius, aut in inmensum inter se differunt, aut contraria sunt etiam: cæteraque huiusmodi multa reperimus.*

26 Rursus Aristoteles lib. 3. physicorum cap. 3. textu 21. & sequentibus docet actionem, qua vna res aliam producit, & passionem, qua alia dicitur à priori producta, esse idem realiter: cæterum inter eas esse distinctionem virtuales intrinsecam, ratione cuius prædicata contradictoria suscipiunt. Cum enim contra identitatem realem actionis, & passionis obieciisset, fore exinde, ut quemadmodum actio, & passio est idem, ita etiam agere, & pati, siue agi essent idem, adeoque nihil posset agere, quod non ageretur, aut agi, quod non ageret: *Et erit (inquens) siquidem doctio, & doctrina idem, & passio, & actio: & docere, cum addiscere idem, & agere cum pati: quare necesse est omnem docentem addiscere, & agentem pati: his inquam ita propositis respondet Aristoteles vbi supra, istud incommodum non sequi: At verò neque si doctio, & doctrina idem, & addiscere, & docere idem. Deinde rationem reddit, cur eiusmodi non sequatur incommodum his verbis: *Neque doctio cum doctrina, neque actio cum passione idem proprie est, sed cui insunt hæc motus: quod enim huius in hoc, & quod huius ab hoc actum esse, ratione alterum est.**

27 His constitutis, sic argumentor: idcirco censet Aristoteles, causam, cum producit, non produci, nec pati à se ipsa, & effectum, cum producit, non pro-

ducere, & magistrum, cum docet, non discere, ac discipulum, cum discit, non docere, hæcque denominationes non confundi, quia tamen actio, & passio realiter sint idem, tamen non sunt idem ratione, nec proprie, aut quoad quid: at hæc distinctio rationis, aut propria, seu quidditatiua alia esse nequit, nisi distinctio virtualis intrinseca: ea enim communiter appellatur distinctio propria, quod non inter rem, & rem, sed inter proprias eiusdem rei formalitates interueniat; & distinctio quidditatiua, quod conceptus quidditatiuos vnus, eiusdemque rei inuicem separet, ac secernat; ac tandem distinctio rationis, non formalis, sed obiectiua, non ratiocinantis, ut aiunt, sed ratiocinata. Quod autem hæc sit mens Aristotelis, manifestum est, aut eius argumentum manifestè nullius est momenti: etenim à parte rei, & ante omnem intellectus operationem per eandem realiter entitatem denominatur causa agens, & non acta, effectus actus, & non agens, magister docens, & non discens, discipulus discens, & non docens: si ergo huiusmodi denominationum distributio, ac sine confusione varietas oritur iuxta Aristotelem ex distinctione reperta inter actionem, & passionem, doctrinam, & disciplinam, necessum est, ut huiusmodi distinctio omnem intellectus operationem antecederet, & ex parte rei detur. Confirmatur B. Thomas è vestigio citandus respiciens ad hunc locum Aristotelis eum intelligit de distinctione virtuali intrinseca, ratione cuius eidem realiter entitari, ac motui prædicata contradictoria conueniunt. Aristotelem sequuntur antiqui omnes interpretes, præsertim verò Alexander, Simplicius, Themistius, Niphus, Venetus, Aueroës, & quod caput est B. Thomas.

28 Primum, quia eadem, qua nos ratione Aristotelem, vbi nuper, explicat: sic enim ait: *Dato, quod agere, & pati sint idem ratione, ut dictum est, non sequitur, quod cuiuscumque conuenit agere, quod ei conueniat pati.* Rursus in 1. distinct. 2. questione 2. artic. 2. in corpore: *Sic ergo (inquit) dicendum est, quod in Deo est sapientia, bonitas, & huiusmodi, quorum quodlibet est ipsa diuina essentia, & ita omnia sunt vnum re, & quia vnumquodque eorum est in Deo secundum sui verissimam rationem, & ratio sapientie non est ratio bonitatis in quantum huiusmodi, relinquuntur quod sunt diuersa ratione, non tantum ex parte ratiocinantis, sed etiam ex parte ipsius rei.* Ecce Sanctus Doctor asserit, non solum ex parte intelligentis dari diuersitatem, quatenus in eo dantur diuersæ cognitiones, quibus cognoscantur indiuisibiliter omnia attributa absoluta Dei dissimilibus modis, sed etiam ex parte rei cognitæ dari diuersitatem: non realem, ut constat: ergo virtuales. Quod si hæc datur inter attributa absoluta Dei, licet ita comparata non sint, ut fide cogente, alia communicentur, alia non communicentur, non conspicio, cur eiusmodi diuersitas inter formalitates creatas non reperiat, præsertim, cum inter eas B. Thomas distinctionem rationis ratiocinatae vbiuis agnoscat.

29 Præterea quæst. 7. de potentia in responsione ad 5. *Dicendum (inquit) quod de eo, quod est idem re, & differens ratione, nihil prohibet contradictoria prædicari, ut dixit Philosophus 3. physicorum (textu 21. & 22. Patet: idem punctum re, differens ratione est principium, & finis, & secundum quod est principium non est finis, & e contrario: unde cum essentia, & proprietates sint idem re, & differant ratione, nihil prohibet, quin vnum sit communicabile, & aliud incommunicabile. Idem habet 1. part. quæst. 39. art. 1. ad 2. vbi eius interpres Caietanus præclare demonstrat,*

frat, eum nomine distinctionis rationis significare distinctionem virtuales. Illam ipse Caietanus, Capricolus, Ferraricensis, Soncinas, Ægidius, Romanus, & plerique Thomistæ veteres tuerentur, tametsi ex nuperis multam eam negent: Insuper extra Scholam B. Thomæ, Albertus Magnus, Alexander Aletensis, Richardus, Bonaventura, Henricus, & alij, quos esse referre longum.

30 Ad extremum eam distinctionem in rebus creatis admittunt non pauci, nec ignobiles nostræ Societatis IESU Authores. Quorum agmen ducant Patres Collegij Conimbricensis tomo 1. logic. quæst. 4. in præfationem Porphyrij articulo secundo, ibi: *Secunda conclusionis pars erat, has partes metaphysicas differre, saltem virtute: diximus enim, distinctionem virtuales tunc dari, cum res de se præbet occasionem intellectui, ut concipiatur per plures conceptus, quasi essent plures, qui conceptus necessario sunt inadæquati, ita ut unus representet unam perfectionem rei, alius aliam: huiusmodi distinctionem agnosceremus in Deo.* Vterius Cardinalis Toletus à nobis apertè facit q. 2. de vniuersalibus, ibique eidem rei penes diuersas formalitates conuenire prædicata contradictoria, nimirum cognosci, & non cognosci, adeoque distinctionem virtuales, edocet: *omnis* (inquit) *nostra potentia cognoscitiua, tam sensitua, quam intellectiua limitata est, & finita; ita ut unum possit percipere, non aliud, v.g. visus videt colorem, non odorem, gustus sentit saporem, sed non sonum, intellectus cognoscit primò communia, non singularia.* Et paulò infra: *sicut color dicitur separatus ab odore, non, quòd ita sit, sed quòd videatur, non viso odore, ita fit natura vniuersalis, non, quòd sit, sed, quòd intelligatur non cognitis singularibus.* Hactenus ille: cuius exemplum manifestè ostendit, eum loqui de præcisione obiectiua, qua vna formalitas rei sine alia reuera cognoscitur, non de præcisione formali, qua totum obiectum diuersis, inuicemque separatis artingitur actibus.

31 Distinctionem etiam virtuales intrinsecam ac aptitudinem eiusdem rei creatæ ad prædicata opposita, cuiusmodi sunt cognosci, & non cognosci, apertè admittit Ludouicus Molina prima parte, quæstione 28. articulo 2. disputat. 3. his Verbis: *Nec valeat argumentario, qua ex identitate, quam habet aliquid cum re cognita, infertur illud etiam esse cognitum, aut apprehensum: quin potius, vel iuxta Aristotelis doctrinam dicatur committi fallacia accidentis, vel iuxta recentiorum dialecticorum dicatur appellatio variari, ut, si cognoscas aliquem venire, nescias tamen, quis sit, non valet argumentatio, qua quis ita tecum argumentetur: cognoscis illum esse venientem, ille veniens est Petrus ergo cognoscis Petrum: Quid clarius? Consentit etiam Suarez disputatione 7. metaphysica section. 1. in hæc verba, fundamentum, quod dicitur esse in re ad hanc distinctionem (vtique rationis) non est vera, & actualis distinctio inter eas res, que sic distingui dicuntur, alias, non fundamentum distinctionis, sed distinctio ipsa antecederet, sed esse debet, vel eminentia ipsius rei, quam sic mens distinguit, qua à multis appellari solet virtualis distinctio, vel habitudo aliqua ad res alias, &c. Et infra: posterior distinctio rationis fit per conceptus inadæquatos eiusdem rei: nam, licet per vtrumque eadem res concipiatur, per neutrum tamen exactè concipitur totum id, quod est in re, neque exhauritur tota quidditas, & ratio obiectiua eius. Qui hunc Patris Suarez locum legerit, eum competiet, non de præcisione formali duntaxat actuum, sed de præcisione obiectiua ipsius rei, ac proinde de distinctione virtuali sermonem habere.*

32 Accedit Vasquez tom. 2. in 1. p. quæst. 28. artic. 2. disp. 117. cap. 1. n. 2. *quia imperfecta est nostra cognitio, paulatimque procedit, rem simplicem & indiuiduam quasi per partes nobis obicit.* Ac postea disput. 118. cap. 2. num. 6. *Ex infirmitate & imperfectione nostri intellectus, dum cognoscit per enigma, & alienas species, prouenit, ut rem integrè sicuti est, cognoscere non valeat, & ideo quasi per partes ipsam apprehendat, & diuidat.* Ecquid autem est, nostram cognitionem paulatim progredi, quàm primò aliquas tantum rei cognoscere formalitates, postea vero alias, quas ex parte obiecti, non cognouit, attingere? Rursus ecquid est, rem integrè ab ea non cognosci, quàm aliquid illius eam latere? Demum ecquid est, rem simplicem indiuiduam, & velut per partes obici, quàm illius aliquas formalitates ita sine aliis ei obici, ac si essent partes physicè & realiter distinctæ, cum tamen sola virtute distinguantur inuicem? Præterea citata disp. 118. negat intellectum beatorum distinguere ratione, siue consideratione attributa diuina, sed non negat, imo concedit totum intellectum cognoscere totum Deum in ordine ad varia connotata, diuersosque effectus: cognoscere ergo totam rem hinc in ordine ad talia connotata, & illinc in ordine ad alia iuxta eum, non est distinguere ratione: reliquum ergo est, vt penes eum distinctio rationis in hoc sita sit, quod vna rei formalitas sine alia cognoscatur, non verò tota res penes omnes suas formalitates.

33 Rursus eandemmet distinctionem virtuales in rebus creatis tuerentur Fasolus tom. 3. in prima parte quæstione 28. artic. 2. dub. 3. numero 74. ibi. *Et in alia opinione communi de omnimoda graduum metaphysicorum identitate ex natura rei, & create essentia atque existentia, dicimus quidditatiuam rationem humanitatis re ipsa non includere, sed excludere existentiam, item in essentia humanitatis secundum se non animalitatis includi rationalitatem. Quod si quis contendat hanc essentialem inclusionem, & exclusionem esse quidem ex natura rei, tamen non esse vocandam actualem, sed virtuales ex defectu actualis distinctionis ex natura rei, parum refert cum illo loqui, modo ipse in re nobiscum sentiat.* Tannerus tom. 1. in prima parte disput. 2. quæst. 2. dub. 3. num. 5. *Etiam in rebus creatis rectè subinde dici potest, unam, & eandem perfectionem simplicem virtute continere perfectiones plurium, atque adeo virtualiter respectu diuersorum obiectorum distingui.* Ruiz disp. 15. de Trinitat. section. 7. numero octauo. *Distinctio rationis ratiocinata sufficit vt de vno possit negari reale prædicatum idem, quod de altero affirmatur. Quin potius vbiicumque reperitur aliqua distinctio rationis ratiocinata, necessarium est inueniri negationis & affirmationis oppositionem: Etenim, que secundum nullam affirmationem & negationem differunt, penitus indistincta sunt, quia quantum ad omnia vnum est, quod est alterum.* Et numero nono, sequent. *Huius veritatis exempla plurima suppetunt etiam in creaturis, animal enim in Perro realiter identificatur cum rationali, & tamen animal non est radix intellectus, neque principium discursus cuius principium & radix est rationale.*

34 Item Meratius tom. 1. disp. 17. lect. 2. num. 8. ibi. *Ex dictis patet etiam ratio, ob quam sufficit distinctio virtualis inter gradus metaphysicos vt ex vno promanet vna proprietas & non ex alio: hæc enim simili modo petenda est, tum ex natura subiecti, verbi gratia hominis, tum ex proprietatis que ab eo promanant: cum enim hæc, v.g. risibilitas, aliam non postulet ex se, siue que natura principij perfectionem in eo à quo manat, quam*

quam rationalitatis talis, qualis est differentia specifica hominis, per accidensque sit ad eandem risibilitatem, si is adiunctam aliam simul perfectionem habeat, eodemque modo facultas sentiendi non aliam postulet quam animalitatis, hinc fit, ut illa promanare possit ab homine quatenus rationalis est, & non ut animal, & hoc ab eadem ut animal est, non ut rationalis. Amicus tom. 1. disp. 3. sect. 7. vbi num. 125. ait compositionem metaphysicam confluere ex pluribus formalitatibus sese obiectiue perfecte excludentibus. Et numer. 127. gradus metaphysicos siue superiores & inferiores cuiusmodi sunt animalitas rationalitas, &c. vnam eandemque essentiam metaphysicè componere. Concluditque num. 143. in hæc verba; quia animal perfecte præscindit à rationali non potest illud essentialiter includere.

35 Apertissime etiam propugnant nostram sententiam Coninch. disp. 3. de Trinitat. dub. 2. num. 14. ibi: Virtualiter distincta sunt, qua licet realiter sint idem, tamen habent conceptus formales ac obiectiuos his respondententes omnino distinctos, ita ut vnum non includatur in conceptu alterius: adeoque de vno potest aliquid verè affirmari quod de altero verè negatur, sic se habent personalitas & essentia. Et eodem dub. 20. ibi: Infero secundò cum Suarez supra. Eandem distinctionem reperiri etiam in rebus creatis, nam hæc sunt absolute vera, homo intelligit per rationalitatem, & homo non intelligit per animalitatem. Item homo per rationalitatem differt à bruto, & per animalitatem non differt à bruto. Et idem paulò infra: Etsi Deo proprium sit propter eius infinitatem, quod eius essentia in se vna & omnino simplex realiter identificetur tribus personis realiter inter se distinctis, tamen ei cum creaturis commune est, quod in eo quadam reperiatur solum virtualiter distincta, que possint esse subiecta contradictoriorum prædicatorum. Martinon disp. 17. de Sacram. sect. 1. num. 6. ibi: In hoc præscindendi & inadæquatè concipiendi modo, id quod non concipitur expressè quatenus tale, cognoscitur tantum identicè; hoc est, re ipsa idem est cum eo quod expressè cognoscitur, ipsum tamen non concipitur secundum propriam rationem ut talem qua differt virtualiter ab eo quod expressè cognoscitur, & secundum quam aptum est terminare alium conceptum dissimilem, quo ipsa exprimitur. Exempli gratia qui cognoscit Sacramentum ut sic, non cognoscit differentias Baptismi, & Eucharistia, vel aliorum Sacramentorum ut tales. Et sect. 2. numer. 26. ibi: visio, qua simul est albi & nigri, minus est similis visioni albi solius, quam dua albi visiones sunt similes inter se, & quam esset ipsa nec si esset visio albi tantum: ergo est similis inequaliter. Vbi autem est minus & inequale est distinctio, & quantitas aliqua saltem virtualis. Ergo visio illa, qua simul est albi & nigri, habet quantitatem aliquam saltem virtuales, & quidem manifestum est illam visionem esse duplicem virtualiter, & æquualere duabus quarum vna sit albi solius, altera nigri solius. Et sect. 3. numer. 33. ibi: Respondeo sufficere ut sit aliud & aliud virtualiter ex parte obiecti, id est, sit obiectum capax ratione sua amplitudinis virtualis terminare conceptus diuersos inadæquatè expressiuos. Et quemadmodum in diuinis sufficit hæc virtualis amplitudo & distinctio virtualis ex parte rei ut possit essentia communicari sine paternitate, & ut filius generetur per intellectum, non per voluntatem, seu per essentiam diuinam qua intellectiua est, non qua volitiua, sic, &c. Comptonus disputation. 24. logica section. 2. vbi præcisiones obiectiuas adeoque aptitudinem ad prædicata contradictoria saltem extrinsecam, & ex consequenti distinctionem virtuales admittit. Quamquam autem

sect. 4. num. 6. Neget gradus metaphysicos distingui ante operationem intellectus, at loquitur de distinctione, qua sit actualis & vera, non de ea qua est virtualis, ac duntaxat secundum quid. Additque numero 7. felicem esse eorum industriam, qui conantur nostram in præsentem opinionem illustrare, qua, ut ipse existimat, nulla in toto cursu philosophico maiorem scholis lucem affert.

Tandem fauet Balthaf. Tellez prima parte summ. Philosoph. disp. 2. sect. 2. in eius epilogo, vbi post multa in vtramque partem disputata, sententiam realium philosophorum præcisiones obiectiuas, & cum eis conjunctam distinctionem virtuales intrinsecam, siue aptitudinem ad prædicata contradictoria admittentem & propter antiquitatem, & propter auctoritatem esse satis veneratione dignam, ac Nominalium sententiæ præhabendam iudicat: In eodem etiam iudicio sunt Rubius in cap. 1. Porphyrij, Vallius prima parte de vniuersalibus in communi q. 1. & nostrorum alij non pauci.

CAPVT IV.

Distinctionem virtuales extrinsecam dari in rebus creatis, ratione probatur.

37 Argumenta pro distinctione virtuali intrinsecam in rebus creatis communiter fieri solita, partim sunt ea, qua pro distinctione ex natura rei Scotista concipiunt, partim etiam ea, qua pro præcisione obiectiua vnius formalitatis ab alia Thomista instaurant. Illa discussimus tractatu præcedenti, hæc in Dial. lib. 8. tract. 5. à cap. 3. Quocirca impræsentiarum propriis vtetur argumentis: Quorum primum sit illud, cuius fundamenta aliqua iecit in actione, & passione Aristoteles, & B. Thomas initio capitis præciti. Potest idem realiter actus esse amor vnius obiecti, & odium alterius: at in illo actu formalitas amoris à formalitate odij virtualiter distinguitur: ergo in rebus creatis, &c. Maior probatur primò, quia eodem realiter contritionis actu potest quis odio habere. Malitiam peccati propter diuinam bonitatem, vt Theologis solemne est: sed ille actus est amor diuinæ bonitatis, & odium malitiæ peccati: igitur in eundem realiter actum conuenire possunt amor vnius obiecti, & odium alterius: Secundò, quia animalitas, & rationalitas realiter idem sunt, quantumuis ad diuersos effectus habitudinem, & ordinem importent: similiter ergo amor, & odium in eundem realiter actum coalescere poterunt, estò diuersa obiecta respiciant.

Quod autem hoc absque distinctione virtuali amoris, & odij non contingat, quodque minor argumenti nostri vera sit, facile probatur: namque, si non distinguerentur virtualiter in actu adducto amor, & odium, is quidem esset odium, non solum malitiæ peccati, sed etiam diuinæ bonitatis, & amor, non solum diuinæ bonitatis, sed etiam malitiæ peccati: Sequela in aperto est: quia eo ipso, quod amor, & odium in illo actu ne virtualiter distinguantur, non poterit actus ille esse amor alicuius obiecti, quin eius odium sit, aut odium alicuius obiecti, quin eiusdem amor sit; vel, quod perinde est, non poterit amare aliquod obiectum, quin illud odio, aut odisse aliquod obiectum, quin illud amore prosequatur: sic eo ipso, quod cognitio obiecti sit virtualiter indistincta à representatione, nequit actus intellectus esse cognitio alicuius obiecti, quin eiusdem representatio sit, illud cognoscere, & non representare, aut è contrario